





B1793 vac.

1792,5  
Sal

15  
11

DISSERTATIO POSTERIOR  
DE  
PRAECIPVIS SPECIEBVS  
QVIBVS  
DEBITORIS DEBITORES  
CONVENIRI POSSVNT.

---

QVAM  
ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE  
PRO LOCO  
D. HENRICVS GODOFREDVS  
MVMHARD  
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI  
AD DIEM II. APRILIS MDCCXCII  
SISTIT  
RESPONDENTE  
CHR. HENR. GOTTLIEB KOECHY  
IVRIS VTR. CANDIDATO  
BRVNOMICENS.

---

HELMSTADII  
TYPIS M. G. LEVCKART ET FILII.



VIRO  
PERILLVSTRI  
IOANNI PAVLO  
MAHNER

SERENISSIMO DVCI BRUNOVICENSIVM A CON-  
SILIIS IVSTITIAE INTIMIS ET EPISTOLIS  
SECRETIORIBVS

PATRONO SVMMO HONORIS CULTV  
DEVENERANDO

1710  
SERVILIASTRI  
ОИАПАИЛНІИАМ  
СЕРВІЛІЯСТРИ  
СЕРВІЛІЯСТРИ

СЕРВІЛІЯСТРИ  
СЕРВІЛІЯСТРИ

*Salutem rei publicae, VIR P E R I L L V S T R I S, su-  
premam hucusque TIBI fuisse legem, omnes boni laudant.  
Haec unica unicus omnium consiliorum sapientissimorum, cura-  
rum, vigiliarum T V A R V M fuit scopus. Nullum onus,  
quam graue etiam fuerat, animi T V I maximi alacritatem  
frangere valuit. Inde euenit, vt, quanto difficultius fuit, ter-  
rarum Brunsuicensum felicitatem promouere, tanto maiores in-  
de ortae sint laudes. Hinc tot plausus bonorum. Quid mi-  
rum igitur, si illustria merita T V A et me alliciant, vt cul-  
toribus T V I S me adiungam. At ne modestiam et indul-  
gentiam T V A M offendere videar: tacere, et encomia T V A  
mente humillima venerari, animique integerrimi documentum qua-  
lecumque dedisse, praestabit. Humanitate, qua inter excellos  
conspicis viros, amoreque illo incomparabili, quo literas et in his  
ius uniuersum prosequeris, certissime fretus nomen T V V M in  
pedioris deditissimi signum huic oppellas praefigere ausus sum.*

\* 2

Acci-

*Accipias perbenigne, quod TIBI offero, testimonium hoc  
deuenerationis meae et reuerentiae, quam TIBI, VIR  
PERILLVSTRIS, plenissime despondere deuotissimus  
animus iubet. Seruet TE Deus gentemque TVAM sua  
gratia, vt longa annorum serie CELSISSIMI DV-  
CIS nostri curis dignus, votis ciuium expectatus, terris hisce  
carus, humanis rebus quam diutissime intersis. Ita vouet*

*PERILLVSTRIS TVI NOMINIS*

*Helmstadit  
ad diem II Aprilis  
MDCCXCII.*

*obseruantissimus cultor  
D. Henricus Godofredus Mumhard,*

DISSERTATIO SECUNDA  
DE  
PRAECIPVIS SPECIEBVS  
QVIBVS  
DEBITORIS DEBITORES  
CONVENIRI POSSUNT.

I.

*Etiam fiscus nouam speciem dat, quod debitoris debitor conueniri queat.*

**E**andem, quam incedebam, inauguralem dissertationem typis tradens, viam ingredior. Aut vero fallit animus, aut aures mihi vellit fiscus, ira incitatus, quod nondum iniecerim mentionem iuris singularis, quo is gaudet conueniendi sui debitoris debitores. Ut mecum in gratiam redeat, spe ducor, si modo me illicet accingam ad illustranda fisci iura, quae posteris quasi in tabella hunc in modum relinquebat a).

**CALLISTRATVS lib. 3. de iure fisci.**

*Multa principalia sunt rescripta, quibus cauetur, non aliter fiscum debitorum suorum debitores conuenire, nisi principales debitores defecerint, vel ex ratione fisci nomina saepta liquido probentur, vel ex contractu fiscalis debitores conueniantur. Quilibet, nisi plane lusciosus sit, non potest non videre,*  
**CALLISTRATVM** loqui de tribus speciebus, quibus fiscus debitores debitoris conuenire potest.

A Primam  
a) L. 3. §. 8. D. de iure fisci.

Primam indicant verba, *si principales debitores descerint.*  
 Dum antecessor non exigit, ut nominis cesso antecedat: sequitur, ex eius iudicio fiscum habere id ius praecipuum, ut actionem summo iure moueat aduersus deficients principalis debitoris debitorem, tametsi desideretur nominis cesso b). Parum caeteroquin interest, an debitoris obligatio, an sam actioni tali instituenda dans, descendat e contractu? an ex delicto? an proin fiscus consugiat ad actionem aduersus debitoris debitorem instituendam, siue quod deficiens debitior ex contractu debeat, siue quod ipsius patrimonium sufferre non potest dictam multam? Ut tam amplum ambitum huic iuri tribuam, suadent verba generalia, quibus vtebatur **CALLISTRATVS.** Quare ad interpretationem hanc firmandam non opus est, ut in subsidium vocemus ius pignoris taciti, quod eruditus quidam nimis laxe fisco pro debitis et delicto largiuntur c). Dicis dubio procul, facultatibus debitoris primarii excusis etiam quemlibet priuatum creditorem venire contra nomina, ac proin in responso **CALLISTRATI** nil singulare conspicisti, quo gaudeat fiscus. At erras. Ut enim non vrgeam, fiscum gaudere hypotheca legali in quibusvis bonis debitoris, ac proin etiam in nominibus. Id autem qua singulare anno, quod fiscus debitoris debitorem iure conueniat, etiamsi debitior principalis sententia non sit damnatus, ut soluat, si modo debitoris debitior agnoscat creditum d), vel expresse vel tacite, ac si insuper constat, principalem debitorem nil in bonis habere praeter nomina. Regeris forsitan, non prius omne dubium ortum de quaestione, annon debitoris principalis patrimonium sufficiat delendis non  
 minibus,

b) **DAV. NEVIVS P. VIII. dec. 240.**

c) **AVG. BEN. CARPOZO. Conf. Elec. part. IV. conf. 13. def. 14. n. 16. NIC. CHR. de LYNCKER Resp. 107. n. 24 seq.**

d) **L. 3. C. quando fisc. vel priu.**

nimibus exularè, quam ipsius facultates sunt excusiae? Qui scrupulus, ne torqueat progredientes, eximendus erit. Scilicet experientia edocti scimus, non raro inueniri homines, qui soluendo non esse conficiuntur, tametsi ipsorum facultates cum dedecore praeconis voci nondum subiicerentur. Hoc accidere, nullus inficiat ibit, si quis aut paupertatis iuramentum praestabat, aut si vicini sciunt, hunc illumque ob summam rerum inopiam pascere sues. Si vero fiscus debitoris debitarem actione conuenit, et reus principalis debitoris egestatem summam vocat in dubium: fisco actori, mea quidem opinione, incumbet, ut iudici fidem faciat de debitoris primarii mendicitate e). Praeter memorata momenta haec actio habet nihil singulare. Quare cum debitor debitoris e fisci ratione non incidere debet in conditionem deteriorem: ei vitio verti nequit, si is fisco agenti exceptionem solutionis, moratoria, compensationis, aliasque omnes exceptiones obiicit f), qui bus foret vsurus, si aduersus ipsum actionem mouet creditor, qui iam qua debitor non soluendo existens irridetur et contemnitur.

Speciem alteram, de qua CALLISTRATVS loquitur, indicant verba, vel *ex ratione fisci nomina liquido probentur*. Aut fallor, aut iurium consultus, id scripturae tradens, respiciebat ad rescriptum Imp. CONSTANTINI g). Vult id, ut fortis reipublicae perseverare debeant, quos superstites integris facultatibus esse, quaeftores publicae pecuniae praeuident, vel quorum heredes in columia patrimonia retinent. Dum vero nefas est, obnoxii corporibus alienatis circumscribi ciuitates: subiungit rescriptum, ut, si quispiam debitor

A 2 ciuitatis

e) Conf. HENR. HERM. MEYERI *Diss. de Propos.* negat, et eius probat. §. 15.

f) DAV. NEVIVS l. c.

g) L. 2. C. de debit. ciuit.

civitatis quidquam ex eo patrimonio, quod habuit, cum pecuniam reipublicae sumeret, donauerit vel distraxerit, aliaue ratione in alium contulerit, ita, ut fiat minus idoneus et non soluendo, vt, inquam, hoc casu postulari ex forte et usuris queat pro rata ab eo, qui ex debitoris facultibus aliquid possidet. Quanam actione? Hypothecariam nominant quidam h). At erronee. Quum enim haec actio non detur ad solutionem recuperandam: vides rationem, cur tali casu Imperator concederet actionem personalem, id est, conditionem scilicet ex lege, qua conueniendi essent talium rerum emtores, ac ad horum exemplum omnes alii, qui sunt debitores illius, de quo ex fisci rationibus patescit, quod nomina liquida e mutui contractu debeat fisco.

Vltimam denique speciem sunt verba haec: *vel ex contratu fisci conueniantur.* Supponi credo, hisce verbis concisis casum, quo rei fiscalis conductor exempli caussa non soluebat locarium. Si fiscus, bonis conductoris talis nondum excussis, mouet actionem aduersus huius debitores, atque si hi abnegare non possunt, se a rerum fiscalium conductore accepta ferre nomina, quae fiscus ab ipsis iam petit: cessare, statuo, exceptionem ordinis, etiamsi debitor principalis adhuc sit soluendo. Nam tales debitores conuenti non suorum saltim creditorum, sed etiam fisci caussa debitores sunt i).

## II.

*Nouum exemplum, de debitore debitoris conueniendo, praebet fiscus primipilaris.*

Ne me infictiae, dicam, an incuriae accuses, mentio est iniicienda iuris singularis, quod fisco e caussa primipilari competit,

b) ANT. MERENDA *Contr. Lib. II. cap. 36.*

i) Euolus praeter ANT. PEREGRINVM de *Iure fisci Libr. VI. n. 27.* et ANT. PEREZIVM ad tit. C. de conu. fisci debit. n. 3. DAV. MEVIVM P. II. dec. 94.

petit, si conuenit debitores debitoris primipili, id est, illius, qui procuracy et administrationi alimoniae militaris praestat a). Conuenire, nemo negabit, cum iuris et aequi regulis, creditorem compellere non posse debitores, ut soluant ante diem. Quare mirum non est, si legas, in poenam plus petitionis eos incidisse, qui in stricti iuris pariter ac arbitrariis iudicis b) ante diem solutionem praefundam urgebant. Nec instituti, nec paginarum ratio permittit, ut inquiram, quo tempore ius romanum pluris petitionem prohibere incepit c), et in quo confiterit poena plus petitionis. Hoc autem monuisse, e re mea erit, DIOCLETIANVM et MAXIMIANVM, vestigis anteriorum imperatorum insistentes, edixisse d), ut, quotiescumque ordinatis actionibus aliquid petitur, ideo petitior cogatur specialiter genus litis edere, ne plus debito, aut eo, quod com-

A 3 petit,

- a) L. 6. C. Theod. de cohortal. Iungas, quae ad hanc legem protrulit IAC. GOTH. PANCIROLLVS Notit. dign. imp. orient. cap. XXI. Inuenitur in IOH. GRAEVII Thes. antiqu. roman. tom. VII.
- b) Id docuerunt ANT. SCHVLTINGIVS Iurispr. anteius. p. 241 et 274. EV. OTTO Not. ad §. 33. I. de aſt. Aliter sentiebat CONR. RITTERSHVSIUS Comm. ad Inſt. p. 643. quem sequebatur IO. HARPPRECHTIVS Comm. ad Inſt. tom. IV. p. 773.
- c) Non conuenient antecessores, si mouetur quaestio, vnde natales huius prohibitionis sint deriuandae. Pluris petitionem iam decemviro coeruleuisse tuebatur praeter alios ANT. PICHARDVS Comm. ad I. tit. de aſt. §. 33. Alii e contra cum IOH. RAEVARDO Varior. libr. III. cap. 14. poenam pluris petitionis deducunt ex praetorum editis. Neutram harum sententiarum ratam habet sibiique acceptam ill. CAR. FRID. WALCHIVS in not. a. ad IO. HOPPII Comm. ad I. tit. de aſt. §. 33. Tribuit is, cum IOH. WUNDERLICHIO Diff. de pluris petit. ſect. I. §. 2 seq. hanc doctrinam prudentum responsū in praetorum edita.
- d) L. 2. Cod. Hermog. de column. et plus petit. in ANT. SCHVLTINGII Iurispr. anteius. p. 712.

*petit, postuletur. Si quis igitur plus ab eo, quod ei competit, vel debetur, petierit, rem et caussam, de qua agitur, perdit. Quae autem sanctio poenalis cessare debet in debito annonario. Ediderunt enim iudicem legumlatores aliam constitutionem boni quidem publici caussa, qua autem, si verum fateri volumus, conditio debitorum debitoris primipili perquam dura euasit. Est ea digna, quae adscribatur. Sonat ita e):*

*Licet ante tempus debita exigi non possint, tamen, si te ex primipilo debitorem constitutum fisci, ac patrimonium tuum exhaustum, praefes provinciae compererit, ut ad solutionis securitatem solum foenebris pecuniae subfidiuum supereesse videatur: communicebit debitorem tuum, si saltim ipse sit soluendo, ut ante definitum tempus debita repraesentet: ut fisco cuius ob necessitates publicas caussam potiorem esse oportet, debita pecunia exsolvatur.*

Operae pretium erit, vt paulo curatius ponderemus conditio-nes, sub quibus recitatum rescriptum fisco militari indulgebat ius, conueniendi conditioне ex lege fisci primipilaris debito-ris debitores, tametsi tempus, solutioni praestitutum, nondum venisset. Primum ergo scias, hocce iure singulari gaudere debitum primipilare, hoc est, ortum ex annona. Quum omnes sciant, ea, quae contra iuris communis regulas sunt constituta, extendi non posse ad species in tali lege non con-tentas: sequitur, vsum huius legis cessare, si quis e fisco bellico fortē mutuam accepit, aut ei ex emto, aliquo contractū, debet f). Alterum momentum attentione dignum eo con-spicitur,

e) L. I. C. de cond. ex lege.

f) His tamen non obstantibus, vides iuriū doctores, legum exten-sionem amantes, non erubuisse, vt legem nostram extenderent ad conductores rerum fiscalium, et gabellarum emtores. Improbat id quidem IAC. BRVNNEMANVS ad cit. L. I. n. 9 seqq. At religioni ducit deferere hanc doctrinam.

spicitur, ut conditione ex lege aduersus primipili debitoris  
debitores fiscus non illicet ut queat, tametsi magnam rei fami-  
liaris partem dissipet primipilus, in diem viuens, et deditus  
opum populatori, puta, immoderato luxui,

quem semper adhaerens

*In felix humili gressu comitatur egestas.*

Verba enim rescripti, patrimonium tuum exhaustum, nos dubi-  
tare non sinunt, fiscum tunc demum ad hanc actionem con-  
fugere posse, si probauerit, primipili debitorem habere nihil,  
vnde fisco militari satisfaceret. Ne hoc quidem sufficere,  
putes. Nam remedium hoc, quod codicillus caesareus fisco  
aduersus debitoris debitores indulget, duntaxat eligi debet, si  
aliud deficiat. Haec verba legis, ut ad solutionis securitatem  
solum foenebris pecuniae subsidium supereffe videatur, non obscure  
indicant, fiscum tamdiu conuenire primipili debitoris debito-  
res non posse, ut ante diem solvant, quamdiu adest remedium,  
cuius auxilio primipilus debitor cogi queat, ut, dum ipsius pa-  
tronum non prolus omnino exhaustum est, soluat id, quod  
debet fisco militari. Docenda hinc erit necessitas, quae sua-  
det, ut petatur a debitore debitoris primipili ante diem. Si  
quaeras antecessores, a quo probatio sit adducenda: eos ab  
onere probandi liberare fiscum militarem h). At parum restet.  
Nam se fundat in necessitate. Desideratur tandem, ut fiscus  
prius, quam ad conditionem ex lege sibi indultam confugit,  
debitoris primipili debitorem interpellat, terminumque solu-  
tionis dicat. Aut fallit enim animus meus, aut haec est  
mens verborum legis, commonebit debitorem tuum, si saltim  
ipse sit solundo, ut ante definitum tempus debita repre-  
senteret. En conditions, quae rescriptum supponit! et quae si concur-  
rit,

g) CLAVDIANVS in Rufin. l. 35.

h) IOH. SICHARDVS ad cit. L. I. n. 3.



nut, dubio caret, non exoleuisse hanc legem, ac proin et hodie debitores debitoris primipili conditione ex lege conueniri posse, vt ante diem soluant i). Si fiscus militaris vtius hoc iure singulari, interrogare te audio, annon illi iniungi queat, vt tales debitores, ante diem praestitutum soluentes, praefet indemnies soluendo interusurio? Volunt hoc quidem viri celeberrimi k). At grauissime labuntur, et sic ostendunt, quod verum sit illud adagium, non esse humanum, omnibus horis sapere. Nam de hoc onere tacet rescriptum nostrum. Iu rare auferim, iurium doctoribus, solutionem interusurii virginibus, non venisse in mentem, quod debitores, qui ante diem soluere coguntur, hoc in primis vexare soleat, vt plerumque durioribus conditionibus fortè quererere debeant. Quibus autem molestiis non consulitur interusurio soluendo.

## III.

*Aliam speciem creditoris, debitorem debitoris conuenientis, sifit ille,  
qui nomina oppignerata tenet.*

Hos omnes creditores, de quorum iuribus conueniendi suorum debitorum debitores hucusque discribam, iamiam excipiebat creditor iste, qui in fortis creditae securitatem nomina oppignerata tenet, quae ipsius debitori alius debet. Olim quidem fuit dubitatum, an nomen debitoris pignori dari posset, forte, quod, inuito aut nescio debitore, non posset ei hoc modo mutari, dicam, an obtrudi creditor saluo iure? Ast ab ista inde temporis periodo, qua debitorum nomina vendi coepерunt, obtinuit, vt ea etiam pignori obligari possent. Quare PAVLVS tanquam de re certa ac explorata iam suo tempore dicebat a), si conuenerit, ut nomen debitoris pignori sit, tuenda est

- i) PERILL. CAR. AD. DE BRAVN. *Diff. de Debito primip. §. 19.*  
k) IAC. BRVNNEMANNVS l.c.n. 5. CASP. HENR. HORNIUS  
*D. de interusurio §. 22.*  
a) L. 18. D. de pign. aff.

est a Praetore haec conuentio. Si vero tali conuentione debitor creditor generatim quaevis sua bona oppignerabat, nec speciatim dicebat, etiam nomina, quibus ipsi alius obstrictus erat, pignori esse: magna lis est inter iurum antecessores in definienda quaestione, num creditor competat ius in debitoris nomina ista, quae ipsi alius debet? et num is proin debitoris debitorem actione mouenda conuenire possit? Alii nomina et iura obligata non censerit b); alii e contra, sub generali bonorum hypotheca, etiam nomina comprehendi affirmant c). Sed refert, ut ego arbitror, vtrum debtor indefinite omnia sua bona obtrinxerit hanc similiue formula: *Bey Verpfändung aller meiner Haabe und Guth, nichts abgsondert?* an vero quis post bona obligata speciatim iniecerit mentionem bonorum mobilium, aequa ac immobilium, et proin vsus sit formula tali, *bey Verpfändung aller Haabe und Güter, bewegliche und unbewegliche, sie seyen anzutreffen wo sie wollen?* Priori specie etiam nomina pignori obligata esse, non negabit is, cui in mentem venit, quod VLPIANVS iam suo tempore dixerit d), bonis annumerari, etiam si quid est in actionibus, petitonibus, persecutionibus; nam haec omnia in bonis esse videri. Posteriori autem specie illi, cui pignus in rebus mobilibus aequa ac immobilibus est constitutum, nullum ius competit in nomina, quibus alius debitori oppigneranti est obligatus. Si enim verum fateri, volupe est: cautiones, iura, actiones, proprie

non

b) ANT. FABER in *Cod. libr. VIII. tit. VI. def. 14.* SAM.  
STRYCKIVS *Cautel. Contract. sect. II. cap. IV. §. 15.*

c) IOH. HENR. a BERGER *Oecon. Iur. libr. II. tit. V. §. 9. n. 1.*  
HENR. BROCKES *Obs. Sel. For. obs. CCLI.* AVG. a LEV-  
SER *Spec. XXVI. m. I.* HOEPFNER *Comm. über Heineccii*  
*Inst. §. 343.*

d) L. 49. D. de V. S.

B

non veniunt sub bonorum mobilium ac immobilium iure, sed  
constituant potius tertiam bonorum speciem, a duabus prioribus diuersam e). Accedit insuper et hoc, quod in specie  
memorata generi derogetur per species subiunctas f). Siue  
vero nomina debitorum conuentione expressa, siue tacita,  
puta, per hypothecam omnium bonorum constitutam, obli-  
gantur, vtraque conuentio pro valida habetur, haud quidem  
e sola prudentum ad ius ciuale interpretatione, sed potius  
tuitione Praetoris. At quomodo is eam tuetur? Audias  
iussum caesareum, quod ea propter dabant DIOCLETIANVS  
et MAXIMIANVS. Huius tenoris est g):

*Postquam eo decursum est, ut cautiones quoque debitorum  
pignori dentur: ordinarium visum est, post nominis venditionem  
vtiles emtori, (sicuti responsum est) vel ipsi creditori postulanti  
dandas esse.*

Magna prudentum deliberatio fuit, quaenam actio intelligi  
debeat sub nomine *actionis utilis*, quae aduerlus oppignerantis  
debitoris debitorem danda est creditori ipsi postulanti, quum actio  
principalis a primo debitore nec cessa, nec mandata, nec in  
solutum ipsi esset. Si quid iudico: personalis actio subintel-  
ligi nequit. Constat enim inter omnes, eiusce generis actionem  
a nullo institui posse, nisi ab eo, cui ista vel suo iure com-  
petit, vel cui ea a domino est cessa. Patet etiam hoc, actione  
personalí illum duntaxat conueniri posse, qui actori est obliga-  
tus. Neutrum vero requisitum hic cogitari potest. Nec enim  
haec actio proprio iure creditori nostro competit; nec ea illa  
est

e) L. 3. §. 4. D. de pecul. L. 15. §. 2. D. de re iud.

f) ANT. NEGVSANT. de Pign. p. 2. membr. 2. n. 8 seq. MERC.  
MERLINVS de Pign. et hyp. libr. II. tit. I. qu. 29. n. 50.  
HENR. HAHNIVS Diff. de Pign. et Hypoth. §. 29.

g) L. 7. C. de hered. vel aff. vend.

est cessa; nec oppignerantis debitoris debitores, qui iam conueniendi sunt, creditori agenti sunt obstricti.

Hoc argumento haud contemnendo non obstante fuisse, scio, antecessores magni nominis, qui sub *actionibus utilibus*, de quibus loquuntur legumlatores, subintelligendam esse, volunt h) actionem personalem, quam creditor talis posset mouere aduersus oppignerantis debitoris debitorem, ut soluat. Ne deesset ratio, qua suam doctrinam fulciant, adducunt. Sic uti nimirum *actio personalis* utilis ex aequitate aequa ac e principum rescriptis accommodata est ei, qui nomen venditum accipiebat, ut posset agere aduersus debitores hereditarios i): ita etiam **DIOCLETIANVS** et **MAXIMIANVS** in codicillis recitatis admiserunt hoc, vt, si nomen pignori est datum, creditori daretur *actio eiusdem generis* aduersus oppignerantis debitoris debitores. Quo huius corollarii veritas eo lucidioribus radiis eluceat, non omittunt exemplum addere. Constat nempe, quod is, qui in iudicio euadebat viator, posset aduersus eius, qui succumbebat, debitores agere k), et quidem actione utili tanquam e causa pignoris iudicialis. En argumentum praecipuum, quo vtuntur, qui nomen *actionum utilium* intelligunt de actione personali utili. Videamus, quid regeri posset l). Scias quod verbis rescripti, postquam eo cursum est, ut cautiones quoque debitorum pignori dentur, innuant

B 2

legum-

h) REINH. BACHOVIVS *Tr. de pign. libr. II. cap. VIII. n. 2 seq.* HVG. DONELLVS *Tr. de pign. cap. VIII.* Eis accedere videtur CONR. CHRIST. WESTPHAL *vom Pfandrecht cap. VI. §. 141.*

i) L. 16. D. de part.

k) L. 2. C. qu. fisc. vel priu.

l) Ad caetera dubia respondebat IAC. BORNIVS diff. de Act. quae credit. adu. debit. debitorem competit §. 8.

legumlatores, hoc fuisse aliquando tempus, quum veteres du-  
bii ancipitesque haesitarent, an nomina pignori possent obli-  
gari? Sed tandem placuisse, ut praeter strictam iuris rationem  
reciperetur, ut pignori dari possent cautiones, hoc est, nomina,  
quorum probatio cautionibus continetur m). Quibus praemissis  
veniunt ad ipsas actiones aperiundas, quas nominis em-  
tor aequo ac creditor nominis hypothecarius, ille aduersus  
venditoris debitores hereditarios, hic autem aduersus oppi-  
gnrantis debitores insituere possunt. Viam sibi  
aperiunt verbis ordinarium visum est. Quia non eam esse men-  
tem, ut cogitarent de inuenientis remediis nouis, quibus di-  
ctae personae vti possent, sed ut potius memorare duntaxat  
vellet, quidquid ratione actionum, eius generis casibus im-  
plorandarum, more et iure visitato receptum esset. Si vero,  
ordinarium visum, et responsum esse, dicunt, ut post nominis  
venitatem utiles actiones emtori dentur, puta scilicet, venditoris  
debitoribus: hoc non explicandum est de simplici venditione,  
quippe ea, qua nudus titulus, nihil potest transferre, ac in-  
super utiles actiones non sunt penes emtorem. Id potius tri-  
bui debet constitutionibus et rescriptis principum. Nam pro-  
bari potest, quod ex his emtori nominis illicet actiones utiles  
ante cessionem competant n). Defunt vero leges, quae  
eius generis actionem personalem dent creditori, qui no-  
mina pignorata tenent. Quum vero nihilominus rescriptum  
dicat sine vlla adiectione ordinarium visum esse, ut vel ipsi cre-  
ditori postulant utiles actiones dentur, puta, illi, cui debitor  
nomen fui debitoris pignorauit; fallor aut legumlatores nostri  
hische verbis respiciebant ad ordinarium ius quo illi datur uti-  
lis actio Seruiana. Tanto minus igitur dubitari potest nomine  
*actionum*

m) Eodem sensu sumitur haec vox L. 56. de leg. 3.

n) L. 1. et 8. C. de her. vend. L. 16. pr. de patr.

*aeternum vitium* subintelligendas esse utilem actionem Seruianam: quanto certius est, in legibus ciuilibus, quae de pignoribus agunt, Seruianam actionem semper designari nomine actionis vitilis o). Sicut ergo rescriptum illustratum non iuuat secus sentientium doctrinam: ita etiam idem iudicium ferri debet de exemplo, quod dubii allati roborandi caussa adducunt. Si enim verba legis paulo penitus intuemur: loquuntur de iudicati executione, nec exprimunt, an, quae iudicati exequendi caussa aduersus debitoris debitorem proponitur, actio sit realis? an personalis? Nec fingenda est actio iudicati, quae non competit, nisi contra eum, aduersus quem iudicatum est. Dubito insuper, vtrum dici queat, idem ius ratione actionum, aduersus creditoris hypothecarii debitores debitoris nomina oppignerantis mouendarum, in pignore nominis conventionali locum habere debere, quod locum habet in pignore judiciali, id est, eo, quod iudicis exequentis auctoritate constituitur? Ut ita sentiam, me mouent plures differentiae, inter vtrumque pignus conspicuae. Unicam modo adducere licet. A debitoris voluntate de pendere, nemo negabit, an nomen conventione pignorare velit, licet is alia bona habeat? At in iudicati caussa nomen non tam pignori, quam pignoris loco capi duntaxat potest, si nullae res reperiuntur, in quibus possit iudicati executor pignus constituere p). Alias silentio praetereo.

## B 3

## IV.

o) Conf. praeter L. I. §. 2. et L. 13. §. 2. L. 20. D. de pign.  
CAR. FRID. WALCHIVM Contr. Iur. fett. II. cap. V. §. 2.

p) Plures alias differentias attulit ANT. FABER Coniust. libr. VIII.  
cap. 17.

IV.

*Inquiritur, qua actione talis creditor uti queat, et singularia huic  
actionis adducuntur.*

Ne inepta actione mouenda caussarum orator cum iactura litis et sumtuum repellatur, is forsitan, genus actionis instituendae diligentius perscrutans, interrogat, ad quas quaeso actiones configere debet creditor, si conuentio, qua ipsi a debitore oppignerante nomen sui debitoris pignori est datum, tueri debet, neque tamen is actione personali debitoris debitores conuenire poterit? Auctor ipsi sum suasorque faluo doctrinorum iudicio, vt is petat auxilium ab actione utili quasi Seruiana. Ut ita sentiam, non ea modo, quae buc usque protuli, sed insuper etiam hoc me allicit, quoniam dicta actio proxime se fundat in iure pignoris, atque iura ciuilia volunt, ut creditor hypothecarius, si ipsi animus est experiri cum oppignerantis debitoris debitore, agat iure pignoris. a) Doctrinae huic multum roboris accedit exemplo, quod adducere non piget. Fingas, cur enim fingere non licaret, finguas amorem ditescendi dotium studio euelli non potuisse animo iuuenis cuiusdam, se cognitum habere putantis, quod non semper fororio vinculo iungatur dos ac seruitus, si femina liberaliter est educata, et maritus morum suauitate pensat, quod pecuniae deest. Fingas, illum ipsum fuisse adeo felicem, vt non circumscriberetur versutia veteratorum, qui plerumque, si merces non deficit, ambiunt, dulci conciliatoris nuptiarum officio fungi. Fingas, istum hisce opitulantibus accepisse peramplam dotem a sponsa. Fingas, huic amicos aequae ac vicinos vix gratulatos esse ius trium liberorum, quum imminaret hora, qua conclamanda vasa erant, et ex hac vita, tamquam e diuersorio quodam emigrabat. Id accedisse, si

fingas:

a) L. 20. D. de pign. Iungas ea, quae protulit IAC. CVIACIVS  
ad L. 18. eod. tit. ad libr. 29. Pauli.

singas: nullum est dubium, quin, sicuti maritus iam molliter cubans, de dote restituenda fuerat obligatus, simili vinculo ipsius heredes obstricti sint viduae singultienti effundentique lacrymas sponte cadentes. Si autem quaeris, an ea illatae dotis recuperandae caussa actione personali conuenire queat defuncti mariti debitores: iuxta sanctionem Caesarum, qui hypothecario creditori aduersus oppignerantis debitoris debitores actione utili succurrentum esse iubent, statuendum erit, viduam frustra postulare ut personalis actio ipsi decernatur aduersus debitores hereditarios b). Non memorant quidem laudati imperatores actionem ad quam vidua consurgat. At speciem actionis mouendae speciatim indicare, haud erat opus. Quum enim iura velint iubeantque ut mulieribus cuncta maritorum bona, in dotum illatarum securitatem, sint pignori obligata c) quumque bonis generatim oppigneratis etiam continantur nomina, quae debitoribus debitores alii debent d): sequitur, etiam in memorata specie viduae, quando res dotales non amplius supersunt, non posse denegari ius, mariti debitoris debitores iure pignoris conueniendi actione utili quasi Seruiana. Si vero res dotales non consumtae exstant adhuc: ea non indiget beneficio tali, quod fluit ex iure taciti pignoris. Potest enim eas deficiente communione bonorum vindicare, et separationis iure petere e). Pro oranda hac caussa, quam et alii iurium antecessores tueri non erubescunt f), an melius exemplum cogitari possit, dubito.

b) L. 3. C. de hered. aff.

c) §. 29. I. de aff. L. un. §. 1. et 15. C. de rei uxor. aff.

d) L. 49. D. de V. S.

e) Vide, praeter IO. HENR. CHRIST. ERXLEBENII Princ. de iure pig. et hypoth. P. sp. scđ. IV. cap. I. §. 222. LVD. MENCKENII Diff. de reb. extantibus vxorum a conc. separ. §. 4. seqq.

f) Inter eos, vt alios taceam, nomen profitentur ANT. FABER de Error.

bito? Quid? quod non tam spero, quam confido potius, fore, ut meam sententiam amplectaris, si paulo penitus huius actionis indolem eatenus illustrauero, quatenus habet singularia momenta, si creditor ea vtitur aduersus oppignerantis debitores. Accipe ea benebole.

Plura nomina huic actioni dederunt leges ciuiles. Num enim exemplo actionis Seruiana a prudentibus, vt videtur, sit introducta g) et caetera pignora prosequatur, quae Seruiana actio non vindicat: factum est, vt vocetur mox quasi Seruiana. h) Si intuemur finem, ad quem actio haec est comparata; obtinuit nomen actionis pignoratitiae, i) et plenius pignoratitiae Seruianae k) aequa ac hypothecariae. l)

Ex editi sententia, cui debemus hanc actionem, datur actio haec illi soli, qui dicere potest, rem petitam sibi iure pignoris teneri. Potest vero hoc afferere, quisquis probat sibi debitam esse pecuniam, et rem, quam petit, pro sorte credita obligatam esse ab eo, cuius in bonis erat. Pari ratione datur speciatim [creditori isti, qui, qua pignus accepit, a debitore nomen, quod huic alias debet. Et huius heredi datur haec actio, et quidem in solidum, si unus est. Si plures sunt: omnibus competit. Quo modo? Rescribebant capropter Imperatores **VALERIANVS** et **GALLIENVS** m) manifesti et

Error. Pragm. dec. V. err. 10. A SANDE Dec. Fris. lib. III. tit. XII. def. 23. BEN. CARPOZOVIVS P. III. dec. 258. IAC. BORNIVS Diff. cit. §. 4. seq.

g) Ita sentio cum ARN. VINNIO et CAR. FRID. WALCHIO ad §. 7. Inst. de atl. etiamsi me non fugiat, GER. NOOTIVM tit. de pig. et hyp. alia tueri.

h) §. 7. I. de atl.

i) L. 3. 10. 18. D. de pign.

k) L. 41. D. de pign. atl., L. 9. D. quib. med. pign. solv.

l) L. 3. §. 3. D. ad exhib.

m) L. 1. C. si unus ex plur. hered.

*et indubitati iuris est, defundo creditore, multis reliquis heredibus, adiunctionem quidem personalem inter eos lege XII tabularum dividitur: pignus vero in solidum unicuique teneri.* Si creditor, de quo est sermo, auxilium exoptat ab hac actione: necesse est, ut iudicium fidem faciat, quod non modo fortem sub hac lege creditur, ut in securitatem crediti cautionem, quam alius debitor debet, qua pignus in manus traditam acciperet, sed quod insuper etiam is, quocum iam experitur, sit debitor debitoris oppignerantis n.) Quid vero in probationem venit, si debitum oppignerant debitori debebatur sub certa conditione aut praestatione certa? Creditoris agentis tunc est, pluribus docere, conditionem esse impletam, aut promissam praestationem fuisse insequitam. Fieri enim nequit, ut creditor hypothecarius ex contractu, quem cum suo debitore iniit, plus iuris nascatur aduersus huius debitorem, quam ipse oppignerans debitor habuisset. Huius vero fuisse, ut exceptionis contractus nondum impleti euitandae ergo illicet iudicem certiorem redderet de adimpta conditione, aut facto praestito, si debitorem suum conuenire voluisset o).

Postulante natura huius actionis in rem datur ea uti generatim aduersus pignoris possessorem, aequa ac aduersus eum, qui dolo malo fecit, quo minus possideret p), ita etiam speciationem aduersus debitoris debitorem eo casu, si creditor cautionem pignori datum huic eum in finem dat, ut is adscriberet dictum in cautione hac solutionis terminum in aliud tempus prorogatum esse, sique debitoris debitor hanc cautionem restituere detrectat. Si insuper rem, iuxta regulas aequitatis, quam ante oculos habuit Praetor, hanc actionem in

albo

n) L. 15. §. 1. de pign.

o) ANT. FABER in Cod. Lib. IV. tit. 10. def. 1.

p) L. 16. §. 3. de pign.

albo proponens, metimur: in hac nostra specie aduersus non possessorem datur haec actio, quae et vel eapropter nomen actionis utilis meretur. Dici enim nequit; quod debitoris debitor nomen, quo debitori oppigneranti est obstrictus, possideat. Est potius, si verum fateri volumus, nominis quasi possessio penes creditorem debitoris oppignerantis, hic actionem ad nominis talis distractionem et propter ipsum nomen quasi in suis bonis habet. Conuenire etiam hac actione creditor debitoris debitorem tunc poterit, si suo creditor i soluerit, tametsi longe antea certior factus est de actione ab ipso subscripta, alio pignori data q).

Non quidem hac actione creditor vrgere potest solutionem, a debitoris debitore faciendam. Finis potius actionis in hac specie erit duplex. Aut enim debitoris debitor possidet nominis oppignerati syngrapham eamque restituere non vult; aut eam non possidet. Priori causa huius actionis finis est, vt index sententia non modo declarat, nominis syngrapham creditori agenti pignoris iure competere, sed etiam debitoris debitori iniungat, vt id restitutu auctori, qui ius retinendi exercet, vsque dum credita fors soluta non est r). Posteriori autem causa vrgeri a creditore potest, vt exeat mandatum, quo debitoris debitori sub poena, in casum contrauentionis soluenda. Interdicitur suo creditori, qui iam oppignerantis debitoris personam sustinet. Quamdui enim cessat tale mandatum, tamdui oppigneratio nominis non impedit, quo minus debitor, cuius nomen obligatum est, suo creditori, qui nomen obligabat, soluat, atque ita se liberet s). Peti insuper poterit, vt reus nomen suum pignori obligatum publice et solemniter

q) L. 4. C. quae res pign. obl.

r) L. 10. C. de pign. aff.

s) IVL. A BEYMA, de Pign. p. 160.

solemniter distrahi patiatur. Hanc esse actionis hypothecarię in specie, de qua mihi est sermo, formulam et conditionem, opinor.

## V.

*Creditori isti agenti, qui tenet nomina oppignerata, quae istius debitori debet alius, obiici nequit exceptio ordinis.*

Fila abrumperem, ne fines, academicae exercitationi praefinitos, migrare videar. At inhumanus essem, si responsum non ferrem, quod me interroges, annon creditori isti cui nomen est oppigneratum et qui contra debitoris oppignerantis debitorem agit obiici queat exceptio ordinis? Non esse statuo cum antecessoribus limati iudicii a) ut creditor talis agens timescat exceptionem de qua est sermo. Si enim paulo penitus intuemur sanctionem b), qua Iustinianus beneficium excussionis non tam introducebat, quam potius reuocabat ad vsum; satendum quidem est, eam quidem loqui de tertio at non de quo quis, sed de tertio possessore. Negari vero nequit, debitoris nomen oppignerantis debitorem esse quidem tertium non vero possessorem. Nam actio, qua tenetur, non possidetur ab ipso. Ratio insuper, ob quam sanctio caesarea extraneo hypothecae possessori exceptionem ordinis indulget, plane in hac nostra cessat. Debitoris enim, cuius nomen est oppigneratum, non interest, cui soluat nomen debitum, an creditori, a quo accepit fortē? an creditoris sui, nomen oppignerantis, creditori iam agenti? Nam vtroque casu consequitur liberationem; priori quidem eam obtinet debitor sol-

C 2

uens

a) ANT. FAPER *Coni. Iur. lib. VIII. cap. 17. et de Error. pragm. dec. V. err. 9. seq.* REINH. BACHOVIVS *de Pign. lib. III. cap. 17. n. 5.* ANT. NEGVSANTIVS *de Pign. P. VIII. membr. I. n. 19.*

b) *Nov. IV. cap. 2.*

uens ipso iure, posteriori autem id sit beneficio exceptionis doli, quam aduersus suum creditorem, qui nomen oppignerabat, acquirit. Hinc metuendum non est, vt de lite orientur litigantes. Quae tamen sola ratio induxit exceptionem excusacionis; quippe alioquin possessorēm, hypothecaria actione conuentum et condemnatum, dōportet ad indemnitatēm consequendam agere denuo contra debitorem, ab eoque exigere id, quod interest, fuisse sese electum ac repeterē litis aestimationem, quam ipsius creditorī soluebat.

Obiici scio rescriptum, quod debemus DIOCLETIANO et MAXIMIANO limpp. Sonat ita c): non prius ad eos, qui debitoribus fisci nostri sunt obligati adiunctionē fiscalem extendi oportere, nisi patuerit principales reos idoneos non esse, certissimi iuris est. Qui argumentum nobis aduersum ex hoc rescripto desumunt, illi negligunt regulam, quae vetat, vt a casu singulari non ducamus generalem conclusionem. Eo minus insuper recitatum rescriptum nobis obstat, quo certius est, fiscum et melioris et deterioris conditionis esse, quam priuatum. Melior ipsius conditio conspicitur eo, quoniam gaudet iure hypothecae tacitae; ob quam summo iure conuenit debitorem debitoris sui. Destituitur e contra priuatus tali iure, ac proin, ni speciali pacto constituantur pignus, talem actionem mouere nequit. Deterior autem fisci conditio eo se ostendit, quod penes priuatum creditorem est optio, an malit prius litigare cum debitore suo, ac eum conuenire actione personali? an vero velit pignus persequi d)? At fiscus hoc iure non gaudet, sed tunc demum ab eo auxilium petere potest, si principalis debitor non est idoneus. Hoc ideo a legumlatoribus nostris constitutum est, quoniam fiscus fere facilem executionem habet contra suos debitores, et ob su-

c) L. 4. C. quando fiscus vel priu.

d) L. fin. C. de obl. et aff.

spectam

spectam ipsius potentiam non facile ipsi permittendum est, vt agat aduersus tertium. Et hoc est, quod communi prouerbio indicare solent, sub quo quis bono Principe malam esse fisci caussam. Pertinet huc exemplum Philippi II Regis Hispaniae e), qui cum esset in Villa del Escorial, eumque adiret Don Valesco, consili*o* Supremi et Camerae Senator, vt in causa, quae maxime augeret Regale patrimonium, referret; Rex huic respondit: Doctor, semper in cura habe, et renuncia Senatui: in dubio semper contra me iudicandum esse.

## VI.

*Nouum exemplum suppeditat impositio arresti in bona illius, qui debitori nostro debet. Modus procedendi in hac re traditur.*

Ex annalium gentis nostrae monumentis edocti scimus, ab eo inde tempore, quo iudices incipiebant obterere maiorum suorum laudes, ex mora et procrastinatione litium bella enata esse, quibus in alma Germania vniuersa res iudicaria adeo turbabatur, vt laeso nihil ferme fuerit reliqui, quam si bimbi ipse inuenire remedium, quo debitorum refractariorum subterfugia auerteret. Hinc represaliae ortae; pignorationes enatae; arresta inuenta. Quae, quum pro temporum istorum ratione, abusu aut prorsus omnino sublato aut saltim interdicto, nil iniquitatis habeant, et suadente utilitate publica sint legibus publicis imperii permissa ac tolerata a), mihi praebent occasionem de quaestione, a dissertationis scopo

C 3

non

e) SAM. STRYCKII usus mod. Libr. XLIX. tit. 14.

a) Rec. Imp. de ann. 1597. §. 81. et de ann. 1570. Nec obiecti potest per celebris illa sanctio, in comitiis Spirensibus ann. 1570. condita. Nam sermo duntaxat in ea est de subditis, Imperii Germanici immediatis. De his id singulare est introductum, quod nec ipfi, nec eorum facultates a iudicis inferioribus detineriqueant.

non abludente, quatenus nimirum creditores vrgere possint, vt, quae debitores debitoris debent, nomina arresto teneri queant. Sicuti nimirum cuiuis creditor, ex legum prouidentia b) licet, e causa iudicati nomen sui debitoris pignori capere: ita etiam tametsi quoad personam debitoris nostri debitor detineri non possit, tamen id, quod hic nostro debitori debet, quoad concurrentem debiti quantitatem recte arrestatur. Petrit hoc casu creditor a judice, vt debitoris debitori denunciari curet, ne soluat nomen, quod debet suo creditor, sine ulteriori ius dicentis permisso. Talis inhibition est instar arresti c). Post inhibitionem talem factam, opinor ad euitandas lites e re creditoris esse, vt curet, citari debitorem debitoris ad certam diem, eundemque coram tribunali interrogari, an debeat? et quantum nomen debeat. Responsione ad quaestione facta debitoris debitor aut confitetur nomen, aut istud in dubium vocat. Si praeter expectationem abnegatur nomen: videndum erit, an creditor, nominis arrestum petens, gaudeat iure quodam pignoris in nomen custodia refinendum? an vero tali iure non gaudeat?

Prior casus accidere potest, siue creditor certam nummorum summam dabat, et debitor hypothecam omnium bonorum, etiam nummorum, promittebat, siue ex Praetoris decreto aut judiciali immittebatur in debitoris bona. In tali specie, afferere haud erubesco, creditorem, de quo loquor, ad easdem actiones admittendum esse, quas instituere potest creditor, qui debitori secundo fortè credebat, sibiique consulebat hypotheca constituenda. Si vero, quae creditori nostro competit, actionem instituit aduersus debitoris debitorem: sequitur, ipsi denegari non posse ius probandi, quod debitori suo alter debeat istud nomen, quod non exsolui petit.

Posteriori

b) L. 2. C. quando fisc. vel priuat.

c) IO. SAM. BRVNQVELLI Op. p. 279.

Posteriori casu res ipsa loquitur, creditorem litteralem destitui iure, actione quadam conueniendi debitoris debitorum. Conuenit autem cum aequi et iusti regulis, vt, si debitoris debitor abnegat, se quicquam illi debere, falsitatem huius assertionis negatiue doceat. Siue vero in probatione hac deficiat, siue eam perficiat, utroque casu, ex peritorum iuris iudicio d), mandatum dari de nomine illi non soluendo cuius debitor esse dicitur. De iniuria enim sibi illata conqueri nequit, siue debeat, nec ne. At consultetur tali mandato emittendo indemnitatি creditoris, vtpote hac ratione debitori et debitoris debitori scinditur anfa colludendi in creditoris necem. Si vero iudex ad talis creditoris preces nominis, quod debitoris debitor debere dicitur, arrestum decreuerit: hic iudicis praecepto de non soluendo obsequi, et pecuniam, donec praeceptum hoc sublatum fuerit, retinere debet e). Si eiusce generis mandatum temnit, et nomen exsoluit: is, qua violator iussus iudicantis tenebitur ad id, quod potestis arrestum interest, nil quidquam fuisse immutatum post emissum praeceptum de non soluendo f). Nec queri potest de iniuria illata, si ipsi iniungitur poena ordinaria, puta, solutio reiterata: Hoc autem intelligi cupio, si aut post perfectam a creditore litem aduersus debitorem ipsi adjudicabatur nomen, aut si non potior eius, cui solutio est facta, quam arrestantis fuerat ratio g). Quid? quod, si ex post detegitur, debitoris debitorem perfracte abnegasse nomen, quod debet, damnari is omnino poterit, qui arrestum petenti soluat sumitus pariter ac damna litis h).

## VII.

d) DAV. MEVIVS *Tr. de Arrest. cap. IX. n. 41.*

e) Idem *Part. 9. dec. 177.*

f) Idem *Part. 9. dec. 99.*

g) CH. FRID. HOLLANDI *Tr. de Arrest. cap. IV. §. 15.*

h) PETR. PECKIVS *de Iure fisciendi cap. IV. n. II.*

## VII.

*Vlterior illustratio doctrinae de arresto.*

Si e contra debitoris debitor fatetur, se debere nomen, de quo est sermo: id sit aut simpliciter, aut addit exceptiones, quibus nomen sublatum esse, adseuerat.

Priori casu nullus iudex religioni ducit, decernere arrestum quoad concurrentem debiti quantitatem. Emissa tali inhibitione de non soluendo nomine debitoris debitor usque ad nominis relaxationem securus est aduersus suum creditorem exceptione arresti ex necessitate obsequii debiti praecerto iudicis. Solet caeteroquin dies dici, quo creditoris, arrestum nominis postulantis, debitor compareat coram iudicis tribunalii, et declaret, num debit nomen, de quo est loquela? quanta sit illius summa? an habeat exceptiones, quarum ope queat extingui ius creditoris? Si statuto die creditoris talis debitor aut emanet, aut si is etiam adducere nequit rationes, propter quas aequum est, vt nominis arrestum relaxetur: consuetudo plurium tribunalium secum fert, vt emaneat sententia, qua iniungatur debitoris debitori, vt quoad concurrentem debiti quantitatatem soluat non tam suum creditorem, quam potius sui creditoris creditorem. Sententiae formula huius tenoris esse solet: *Es wird hiermit Arrestant an die bey N. N. stehende Gelder seine Bezahlung bestermassen einzufordern verwiesen, und Arrestanten anbefohlen, Arrestanten und ohne dessen Bewilligung keinem andern die Gelder zu zahlen a).* Mors insuper quandoque esse solet, vt post talem adjudicationem non raro emaneat mandatum, quod debitoris debitori iniungit, vt coram tribunali deponeretur pecunia, qua deleretur nomen, de quo est sermo. Non sum nescius, debitoris debitorem cautum recusare solutionem nominis nondum tradito chirographo, quod est in sui creditoris manibus. Securitati ipsius consuli poterit duobus

a) D. MEVIVS de Arrest. cap. IX. n, 44.

duobus hisce remediis. Primum est, ut creditor, a quo som  
tem accepit, index iniungat chirographum retradendum, et  
praecepto tali non obtemperans coerceatur multa b). Alterum  
remedium facilius ac promptius indemnem praestandi  
debitorem consistit in eo, ut tabulae crediti mortificen-  
tur, id est, cassa ac extincta declaretur obligatio. Menthio eius  
rei fiat creditori, et decreto certior reddatur, debitorem ob-  
solutum nomen esse liberum. Quum tantundem proficit sol-  
uendi auctoritas iubentis magistratus, quantum ipsa chirogra-  
phi redditio prodesse potest c): sequitur, quod is sit huius  
mortificationis effectus, ut debitoris debitorem non modo red-  
dat tutum, adeo, ac si nunquam fuisse obstrictus, sed etiam  
instrumentum tale, publica auctoritate munitum, probet so-  
tionem peractam.

Posteriori autem casu, puta, quo debitoris debtor fate-  
tur quidem nomine, sed obiicit exceptionem solutionis. Quae  
si fuerit opposita: dubium non est, quin admitti debeat ad eius  
probationem. Quid? quod nec excludi poterit ab vsu exce-  
ptionis compensationis, puta, si creditor, arrestum nominis  
quaerens, debeat debitori sui debitoris d). Si enim is, cui  
debeo, mihi reciproce debet, iniquum foret, quando exigere  
vellem ab altero, ut mihi solueret, quam iam penes me habeam,  
quod debetur, et retinendo, quod debeo, nihil statim satisfacere  
possim. Siue vero priorem, siue hanc alteram proponit, nec  
eas probare potest: index procedere poterit eadem ratione,  
qua procedit in priori casu explicato.

Caeterum nec hanc quaestionem intactam relinquere  
possum, an tale praeceptum iudicis de nomine debitori non  
soluendo,

b) Idem l. c. n. 51.

c) ANT. FABER in Cod. lib. IV. tit. 10.

d) HOLLAND l. c. cap. IV. §. 14.

soluendo, sed retinendo, debitoris debitorem liberet ab usuris suo creditori praestandis. Qui hoc affirman: illi vrgere audent, quod debitoris debitor obstrictus fuerit, iudicis iussui et vel praeter suam voluntatem parere, quodque proin, dum cessat culpa et mora, cessare etiam debeant usurae e). Multum ponderis inesse, non abnegabo, huic doctrinae. Verum nihil secius in eorum partes discedo, qui, emissio tali praecepto de non soluendo, debitoris debitorem non immunem esse, dicunt, ab usuris creditori suo praestandis f). Ut ita dicam, me mouet hoc, quod eiusce generis praeceptum non aliā, quam strictam, interpretationem admittat, adeoque a forte retinenda conclusio fieri nequeat ad usuras haud soluendas. Pugnat insuper talis conclusio, si etiam animus nobis esset, admittere eam cum mente iudicis praeipientis, ne debitoris debitor soluat id, in quo obligatus est suo creditori. Non enim hunc vult priuare interesse, dum scit, quod arresto durante debitoris debitor vtitur pecunia creditoris. Si igitur debitoris debitor optat, vt liberetur ab usurarum praefestatione: auctor suasorque illi sum, vt sortem aut in iudicio deponat, aut curet saltim eam obsignari. Neglecta hac cautione ab usuris praestandis non prius erit immunis, quam si probat, vel firmat iureiurando, se non usum fuisse forte, cuius solutionem creditori restituendam interdicebat iudicis praeceptum de non soluendo emissum.

e) Tuentur hanc doctrinam M. BERLICHIVS *Dec. 25.* BEN. CARPOZOVIVS *conf. 30. def. 24.* RICHTERVS *Dec. 74. n. 79.*

f) Id docent et praeiudiciis firmant IOH. SCHILTERVS *Ex. ad D. 35. §. 12.* FINCKELTHAVSIVS *obs. 19.* BALTH. A. WERNHER. *Part. IV. obs. 252.*





Helmstädt, Diss., 1786-95

3

f

Sb.

ULB Halle  
004 327 586







M 1793 vac.

1792,5

15

DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> POSTERIOR  
DE  
PRAECIPVIS SPECIEBV<sup>S</sup>  
QVIBVS  
DEBITORIS DEBITORES  
CONVENIRI POSSVNT.

QVAM  
ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE  
PRO LOCO  
D. HENRICVS GODOFREDVS  
MVNHARD  
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI  
AD DIEM II. APRILIS MDCCXCII  
SISTIT  
RESPONDENTE  
CHR. HENR. GOTTLIEB KOECHY  
IVRIS VTR. CANDIDATO  
BRVNNOVICENS<sup>I</sup>.  
HELMSTADII  
TYPIS M. G. LEVCKART ET FILII.